



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 13322648

§. 27. Quesnelli reflexiones morales in Novum Testamentum ab Aptensi
Episcopo damnatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

„Pontifici quoad doctrinam suam fece-
 „rit fatis, ac absolutionem ab excom-
 „municatione obtinuerit. Insuper in-
 „hibemus ei, ne ad Diæcesin nostram
 „unquam revertatur, minus in ea-
 „dem aliquid scribat, edat, aut im-
 „primi faciat sine prævia nostra licen-
 „tia, vel similes excessus committat
 „sub pœna, quod perpetuis carceribus
 „mancipabitur, aliisque pœnis gravio-
 „ribus in jure contra hujusmodi trans-
 „gressores statutis punietur, condem-
 „nantes ipsum in expensas sequestra-
 „tionis, & contumaciæ ad nostram
 „taxam. Ita in scriptis sententiamus.„

Sæc. XVII.
 A. C. 1703.

Verum adversus hanc sententiam
 Quesnellus editis duobus libellis bilem
 suam uberrime effudit.

§. XXVII.

*Quesnelli reflexiones morales in No-
 vum Testamentum ab Aptensi Epi-
 scopo damnatae.*

Cum in Galliis & præcipue in Aptensi
 Diæcesi Gallica novi Testamenti e-
 ditio unacum moralibus Quesnelli re-
 flexionibus passim omnium manibus
 tereretur, non pauci de conservanda
 doctrinæ ac fidei puritate solliciti apud
 Josephum Ignatium de Foresta a Co-
 longue Aptensem Episcopum graves
Hist. Eccles. Tom. LXVII. G „de-

Sæc. XVII. desuper querelas deferebant. Hic
A. C. 1703. vero præfatum librum celebrioribus
Theologis examinandum tradidit; qui
præmissa discussione matura refere-
bant, hanc versionem non modo Vul-
gatæ dissonam esse, sed illam quoque
plurimos errores ab Ecclesia jam pro-
scriptos innovare: Ne vero hic Epi-
scopus duntaxat aliorum iudicio stare
videretur, ipse hoc opus sæpius per-
volvitur, discutit, ac luculenter depre-
hendit, quod novæ hujus versionis
textus cum Montensis editione a Cle-
mente IX. die vigesima Aprilis anno
præteriti sæculi sexagesimo octavo,
pluribusque Episcopis, imo ab ipso
etiam Aptensi damnata ferme idem
fit, Auctorque temerariis, erroneis,
captiosis, æquivocis & sedulo exqui-
sitis annotationibus Jansenismum fo-
veat: quapropter Episcopus die de-
cima quinta Octobris promulgato e-
dicto hanc Gallicam Quesnelli editio-
nem omnibus utriusque sexus ac con-
ditionis cujuscunque Diæcesanis in-
terdixit, prohibuitque sub anathema-
tis pœna, ne quisquam hunc librum
legat, retineat, vendat, aut distra-
hat: Pariter se nullum ad S. Ordines,
Verbi Dei prædicationem, & Pœni-
tentia administrationem admissurum
declarabat, nisi prius formulæ, qua
„quin-

Sæc. XVII.
A. C. 1703.

quinque Jansenii Propositiones damnantur, subscripserit: se vero id jure merito facere, comprobatum reddebat veteris Ecclesiæ usu, quo hæresum fautores detegere assuevit; sic enim, agebat Episcopus in suo decreto, Menas Patriarcha jussu Imperatoris Justiniani præcepit, ut omnes Episcopi, Abbates, Sacerdotes & Religiosi in Diœcesi Constantinopolitana simili ferme scripto contra Origenem subscriberent, & Hormisdas Pontifex, ut ex literis ejus patet, ad Joannem Nicopolitanum Episcopum, suisque Suffraganeis fidei professionem, qua Eutychetis, Dioscori, & Acacii errores anathemate proscripsi erant, submitit, jussitque, ut Orientalis Imperii Præsules, ac universus Clerus eidem subscriberent. Postea Episcopus ridiculum eorum, qui Jansenii librum, utpote a Pontificibus duntaxat damnatum, perperam fuisse damnatum dicunt, effugium retudit, asserens, quod Pontificum decisionem omnes Episcopi receperint, confirmarintque, proin eorum Constitutiones pari cum Concilii Oecumenici decretis auctoritate polleant: quapropter Chalcedonensis Synodi IV. Patres anathema dixerint, iis, qui post literas Leonis Papæ ad Flavianum contra Eutycheten datas hunc non esse hæreticum

Sæc. XVII. crediderunt, eoquod Petrus per Leo-
 A. C. 1703. nem locutus esset. Denique Episcopus
 illis, qui nonnisi obsequioso silentio
 Pontificum Constitutiones recipiunt,
 hæc Gregorii Magni verba applicabat:
*Perversi homines, qui trium Capitulorum
 occasione reperta Ecclesiasticam disciplinam
 fugiunt, de suis carnalibus actibus repre-
 hendi pertimescunt, subesse Sedis Aposto-
 licæ præceptis nolunt, Et dum neque in fide
 recti sunt, neque bonis operibus intenti,
 student, ut certare pro fide videantur, sic-
 que fit, ut quotidie deteriores fiant, dum
 in eis culpa gravescit, quæ quasi de Zelo
 fervoris videri etiam laudabilis appetit.*

§. XXVIII.

*Mechliniensis Archiepiscopi sententia
 in Nicolaum Blancquaert de
 Jansenismo convictum.*

Præterea Mechliniensis Archiepisco-
 pus in varios de Jansenismo con-
 victos auctoritate etiam Regia animad-
 verti jussit, ac præprimis in Nicolaum
 Blancquaertum, qui noxios ejusmodi
 libros approbavit, & damnatæ Jansenii
 doctrinæ adhæsit, Bruxellis die deci-
 ma tertia Junii anno sequenti hanc
 pronuntiavit sententiam: „In causa
 „Officii coram nobis mota, & indecisa
 „pendente inter Procuratorem ejusdem
 „Officii